quondam et Regum felicis procreatrix:
Cur ego infelix tunc tuus Rex esse coepi
quando servire miserè es coacta, quandò
tam parum virtutis nostrae robur vindica-
re potuit, cur in occasu tuo vivere non
desij, cur et ruinis infelicis Imperij se-
pultus hostium tamen cruore, si alia pur-
pura Regi negabatur gloriosè aspersus
mecum meas miserias contumulavi? igno-
scite ò fortes nutantis Patriae Heroës
qui pro illius gloria fortiter cecidistis i-
gnoscite si fati necessitatem profuga poti-
us vitare, quàm per invictam mortem eludere
sustinui: putabam miser bene illum fugere
qui non sibi animam, sed Regno conservaret,
credebam sortem post tot miserias infelicem
persequi destituram, et forsitan si vos ò
Coelites voluissetis inopinus Patriae li-
bertatem attulissem, hostibus stragem, si
me tantisper infelix et proditor Regis